

Veneruntq; omnes seniores Israël ad regem in Chebron. Nō solum populi diuersarum tribuum, sed etiam rectores & gubernatores populi venerūt ad regem David. & percusserūt cum eis rex David fidelis solitus inter regem & regnum, in Chebron coram Domino. hoc est iugato diuino nomine in testem feceris. vñxerātque David in regem super Israël qui prius fuerat vñctus in regem super Iudam: & ante vtranque vñctionem fuerat puer vocatus a Samuele in futurum regem.

Filius triginta annorum erat David cum regnare cepit: & quadraginta annis regnauit. Mouetur hic quæstio cur subiunguntur quadraginta anni & sex menses regni Davidis, & nō summantur hic nisi quadraginta anni nulla mentione facta sex mensis. Solutio est quod in veritate regnauit annis quadraginta & mensibus sex (alioquin nō verificaretur subiuncta affirmatio: videlicet quod annis septem & mensibus sex regnauit super Iudam in Hebron, annis autē trigintatribus regnauit super Israël & Iudam in Ierusalem) sed ratio tacendis sex menses hic fuit diuersus supputandi modus: nam supputando per singulas partes, non solum integra, sed etiā minutula numeramus: supputando autem in vniuersum, integrantur explicamus. & propterea supputando in vniuersum, integrorum duntaxat annorum metuimus: distinguendo autem per singulas partes, etiam menses connumeravimus. In Chebron regnauit super Iehudam septem annis & sex mensibus: & in Ierusalaim regnauit trinquantatribus annis super totum Israëlem & Iehudam.

Et abiit rex & omnes viri qui erant cū eo in Ierusalaim. Quāuis in Hebraeo non habeatur dictio omnes, ex primi tamen parali. cap. 11. verificatur quod omnis Israël iuit cum Dauide in Ierusalem ad ponendum ibi sedem regiam. ad Iebusē habitationem terrae. Ratio insinuatur quare cū exercitu iuerit David in Ierusalem: quia videlicet ibat ad expugnandum Iebuseum habitatorem ciuitatis Ierusalem nolentem dare ciuitatem Dauidi. **Dicitur** q; est David ab eis. In idē redit quod scribitur Hebraice. & dixit David dicendo, nam Iebusātus dixit David: vt contextus indicat, & paralipomenon testatur, no: venies hic nisi abstuleris cacos & claudos dicentes, non ingredieris David huc. Revolute veteres historias, & inuenies multas mutationes in Ierusalem, nam ante regum temporis habitavit in Ierusalē Iudas simul cum Iebusāo Iosue. 15. & postea

stea in fortē Beniamin data est Ierusalem Iosue. 18. deinde percusserūt eam in ore gladi, & ignem in eam misit tribus Iudea iudic. 1. & deinceps Beniamin habitauit in ea simul cū Iebusāo, vt iubiligerit etiam iudi. 1. tempore autem regis Saul tanta rat coniunctio inter regem Saul & Ierusalem, vt Saul triumphans venerit in Ierusalem simul cum Dauide portante caput Goliath Philistini 1. reg. 18. Ex quibus omnibus facile percipimus quod multi erant in Ierusalem tempore quo Dauid venit ad collocandum sedem suam ibidem, amici ipsius Davidis (tū Israelite de tribu Beniamin, tum Iebusāi) qui benevolē suscepserant eū triumphantem cum Saule. Disfensio itaque inter ipsos Iebusāos insinuatur in litera, narrando quod Iebusāi accusarunt cacos & claudos dicentes non ingredietur Dauid huc: aliqui enim erant Iebusāi dicentes non ingredietur Dauid huc: aliqui autem amici Davidis nūc iauerunt Dauidi quod nisi remoueret cacos & claudos inimicos Davidis nunquam assequeretur intentū. Appellāntur autem Iebusāi inimici Dauidis tum caci, tum claudi, eo q; aliqui eorū erant caci non corpore, sed mente: vt pote nō viidentes bonum proprium valde magnum proueniens ex sede regia in ciuitate Ierusalem. quidam autem eorum erat claudi animo: vt pote non recte incedentes in negocio hoc cum Dauide, partim laudantes admissionē Davidis in ciuitatem & partim tenientes. Et hic sensus & quadrat litera, & quadrat dispositioni habitantium in Ierusalem, & quadrat ratione recte: & nullo eget adminiculo apocrypho.

Et cepit David arcem sion. Non dicitur & cepit Dauid Ierusalem, sed arcem sion: ad innuēdum quod ciuitas sine expugnatione data est Davidi propter dissensiones habitatorum, Iebusāis inimicis Davidis retrahentibus se in arcē sion. arcam enim tempore reuinuerat Iebusāi, etiam ciuitate existente cōmuni Iebusāis & Israēlitis. Et propterea significatius dicitur quod David cepit arcam sion: hoc est motis sion. erat n. mōs sion intra Ierusalem, hæc est ciuitas David, hoc est noncupata est deinceps ciuitas David: hoc est constructa à Dauide, dicata pro sede Davidis. & hoc ad differentiā Bethlehem: quæ erat ciuitas Davidis, quia inde erat oriūdus. Proposuerat enim David in die illa premiū qui percussisset Iebusāi & traxisset domatum fistulas, & abstulisset claudos & cacos odientes animam Davidis. Sententia refertur: nam Hebraice mutulus sermo

SECUNDI REG.

sermo est. Et dixit Dauid in die illo, omnis percutiēs Iebusum & tanget canale & claudos & cacos odientes animam Dauidis. Et sic finitur hæc clausula: quæ tamen ex i. parali.ca. ii. exeditur. describitur siquidem modus quo Dauid expugnauit arcem sion: videlicet proponendo in præmium principatum exercitus primo viro ascendentí super tecta arcis sion. testum siquidem significatur per canale eo quod tecta paumentata ibi sunt fuit sub diuō, & inde fluit aqua in cisternas per canalia. Percussio autē refertur ad Iebusum, appositue claudos & cacos osores animæ Dauidis. Ipsa enim tanta vis pugnandi ac percutiendi ut compos esset ascensus super testum, manifestam victoriam præ se ferebat. & propterea tanto præmio digna est habita, illique attribuitur percussio Iebusiorū cæcorum & claudorum. Et ex hac litera confirmatur quod diximus de cæcis & claudis, ex eo enim quod dicuntur osores animæ Dauidis, homines significantur inimici habentes aū odij. ideo dicitur in proverbio, cæcus & claudus non intrabunt in templum, luxta Hebræum habetur. non intrabit in domum, nec magis dicitur de domo Dei quam de domo alia quacunque. Inde enim narratur ortū prouerbiū cæcus & claudus non ingredietur domum, quando repellebant aliquem ab officio petito, tāquam animo cæcum vel claudum. & similiter cum suspectum habebant aliquem, vtebantur hoc proverbio cæcus & claudus non ingredietur domum: loquendo quidē in genere, sed non absq; nota illius seu illorum de quo vel quisbus erat sermo. Et habitauit Dauid in arce, & vocauit eam ciuitatem Dauid: adificauitque Dauid per gyrum & mello & intrinsecu. Dic̄io Hebraice relicta est, corrupta tamen: legēdum esset à millo, & poterat latine dici à plenitudine. narratur enī quod Dauid non adificauit per circumitu voraginis (hoc est concludēdo ipsam voraginem quæ erat iuxta montem sion, sed adificauit per circumitu à plenitudine (hoc est loco pleno terra) relinquendo vacuitatem voraginis extra murū, & propterea adiungitur & intrinsecus, ad differentiam vacui extra murum relicti. Ita quod non adificauit in precipiti loco illius vacui: sed cinxit muro spatium montis sion terræ plenū, & adificauit intra claustra muri.

Et ingrediebatur proficiens atque succrescens. Parui refert q; Hebraice habetur. Et iuit Dauid eundo & grādescendo: & dominus Deus exercitū erat cū eo. Profectus Dauidis deinceps

summari

CAPVT V.

158

summariè narratur ex dono summi Dei. Misit quoque Chiram rex Tyri nūcios ad Dauid, & ligna cedrina & artifices lignorum & artifices lapidum parvum: adificaueruntque domum Dauidi. Inter prosperos successus suppatur amicitia regis Tyri cum illius legatis ac prouisione artificum & lignorum ad ædificandum regalem domum. Quod nunquam à Saule factum legitur, primum ergo regale palatium apud Hebræos ædificatum est à Dauide, nam prius nec etiam artifices scientes huiusmodi palatia ædificare apud eos erant: sed rex Tyri misit eos ad Dauide. Et cognovit Dauid quod confirmasset eum dominus regem super Israhel: & quod exaltasset regnum eius super populum suum. Iuxta Hebræum habetur. propter populum suum Israhel, hoc est propter bonum populi sui Israhel. Accepitque Dauid adhuc concubinas & vxores de Ierusalaim postquam venit de Chebron, quasdam siquidem accepit tanquam concubinas: hoc est ad officium generandi duntaxat, vinculo tamen coniugali. quasdam autem in vxores: hoc est non solum ad officium generandi, sed etiam ad vxoriae dignitatis gradum. Accepit autem vrasque non solum ad multiplicandum semen suum, sed etiam ad affinitatis vinculo vinciendum sibi multos ex Ierusalem ciuitate nouiter electa ad sedē regiam. & nati sunt adhuc Dauidi filii & filia. Et hec sunt nomina natum ei in Ierusalaim: Sammuah & Sobab, & Nathan & Seleno, Iibechar & Elisiah & Nepheg & Iaphiah, & Elisamah & El'adah & Eliphaleth. Sumuntur omnes filii Dauidis toto tempore regni eius nati in Ierusalem. Nec suppatur inter istos filios qui sine nomine mortuus est, quem primo genuit ei Beersabe vxor Vræ. & propterea significanter non dicitur, & isti sunt filii, sed hæc sunt nomina, ad differentiam mortuorum absque nomine: nec subiunguntur nomina filiarum.

Avidabant autem Pelishim quod vnxissent Dauidem in regem super Israhel, & ascendebant omnes Pelishim ad querendum Dauidem, hoc est ad debellandum Dauidem, audiuitque Dauid, & descendit in præsidium. Iuxta Hebræum habetur. & descendit ad arcem, hoc est ad locum natura fortem & munitam, proculdubio cū suo exercitu: locum autē non solum tutum, sed situm ad obuianandum Pelishinum. Pelishim autem venerab; & diffuderunt se in valle Rephaim. Et consuluit Dauid dominum dicendo, an ascendam ad Pelishim? hoc est non aggrediar Pelishinos

SECUNDI REG.

Pelithinos non expectans ut ipsi aggrediantur me: an dabo eos in manum meam: dixitque dominus ad David, ascende, quia dabo dabo Pelithim in manum tuam. Modus quo loquebatur Deus respondendo huiusmodi consultationibus, scriptus non est. Et venit David in Bahal perazim, & percussit eos ibi David, Directionem hebraicam reliquerunt, eo quod sit nomen proprium tunc ex illa victoria impositum illi valli seu illius portionis latine siquidem dici potuisse planicies diuisionum. & dixit, dominus inimicos meos coram me sicut diuiduntur aquæ. hoc est tam facile quam facile diuiduntur aquæ hac atque illac. Et ex his verbis Dauidis (ut subiungitur) nuncupatus est locus illius victoriarum planicies diuisionum. ideo vocatum est nomen loci illius Bahal perazim. Reliqueruntque ibi sculptilia sua, que tulit David. Legendum est, & combusisti ea David & vires eius. iuxta legis præceptum.

Et addiderunt adhuc Pelithim ut ascenderent: & diffuderunt se in valle Rephant. Consultuit autem David dominum: si ascendam contra Pelithos, & trahes eos in manus meas? Non habetur haec clausula in Hebreo: sed postquam scriptum est. Et interrogavit David in Iehouah, subiungitur immediate. & dixit, proculdubio Iehouah. Non ascendes contra eos. Superfluit contra eos, ad claritatem siquidem sententiae apposuit interpres quod subintelligebatur. est enim sensus, non aggredieris eos e regione ipsorum: ut subiecta manifestant. gyra post eos, & venies ad eos ex adverso pyrorum. Iuxta Hebraum habetur, ex adverso arborum, nec nominatur species arborum. Et cum audieris sonum clamoris gradientis in cacumine pyrorum, tunc inibis prelium: quia tunc aggredietur dominus ante faciem tuam. Iuxta Hebraum habetur. & eris audiens te vocem deambulationis in capitibus arborum, tunc te mouebis: quia tunc exiuit Iehouah ante te ad percutiendum castra Pelithinorum. Non significatur futurus ventus, sed futura deambulatio, proculdubio angelica: nam deambulare non est venti, sed rationalis creaturæ; nec potest singulana deambulatio in summitatibus arborum. Vox autem quia Hebraice exteditur ad sonum (tonitrua enim etiæ voces appellant) & quia non dicitur vocem deambulatis, sed vocem deambulationis, pro sonitu ipsius deambulationis sumitur, reuelatur sed quidem David quod futura sit angelica deambulatio in summitate arborum: & instruit quod cum audierit sonum illius deambulationis, tunc moueat se ad aggrediendum Pelithinos: quia tunc

Deus

CAPUT VI.

159

Deus exiuit (hoc est ad instar egressi ad percutiendum Pelithinos se habebit, per angelos suos pugnans contra illos) exterrendo seu minuendo vires Pelithinorum & roborando Israelitas. Considera hic prudens lector quot modis Deus dilectis suis opem tulerit sensibiliter: ut mirabilia facta eius quæ non videmus, ex visibilibus discamus admirari. Fecitque David ita sicut præcepit ei dominus: & percussit Pelithim à Ghabah usquequo venias in Gazer.

CAPUT VI.

 Ongregauit autem rursus David omnem electum in Israhel, triginta milia. Surrexitq; David & abiit & totus populus qui erat cum eo de viris Iudeæ, ut adduceret arcum Dei. Iuxta Hebraum habetur. Et surrexit & iuit David et totus populus qui cum eo à Bahale Ichude, ad faciendū ascendere illinc Thecā Elohim. Nomen propriū regionis est Bahale in qua cōgregatus est à Dauid populus electus, in qua erat ciuitas syluarum, & propterea dicitur quod à Bahale surrexit & iuit David cum populo ad faciendum illinc ascendere arcā Dei. terminus enim à quo inchoauerunt iter ascensus versus Ierusalem, describitur. super quam inuocatum est nomen domini exercituum. Iuxta Hebraum bis scribitur nomen: & legendum est, in qua fuit vocatum nomen, nomen Iehouah exercitum. Ratio venerandi arcum Elohim redditur, quia in illa vocabatur nomen, non quodcunque, sed nomen summi Dei exercituum. Et est sermo de vocatione orantium ad Deum. Significanter autem dicitur nomen, ad declarandum quod certus sensibilis locus (puta arca) non erat decretus locus ad contemplandum Deum, sed ad sensibiliter inuocandum sensibile nomen summi Dei quod humana voce nominatur. Et vere sic erat: quoniam tam sacrificia quam quæcunque alia contraria dicta aut facta, ad sensibiles inuocationes ipsius Dei non secundum quod in se est, sed secundum quod nominatur pertinebant. Deus enim secundum quod in se est, ignotus est nobis & non solum innominatus. sedenit Cherubinorum super eam. Declaratum est olim in Exodo quod Cherubini sustinebant propitiatorium super arcam tanquam Dei sedem, super arcam quasi scabellum suppedaneum: & propterea hic dicitur sedens Cherubinorum super arcam. Et imposuerunt arcam Dei. Nomen est Elohim. Super plaustrum nouum. Hic fuit error ex ignorantia Davidis commissus: quoniam non super plaustrum,

strum, sed super humeros sacerdotum vel saltē leuitarum portanda erat arca secūdum legem Mosis. tulerōntque eam de domo Abinadab, quæ erat in Ghibba. Hebraicum nomen reliquum est: cum debuisse dicitur in colle. Non enim Ghibba est hic nomen proprium loci, sed est nomen appellatiuum significans collem. erat enim arca in domo Abinadab existente in colle: qui erat portio ciuitatis syluarū, ut Paralipomenō manifestat: in qua domo collocata primū fuerat arca Dei postquam percussi sunt Bethsemitæ, apud quos erat arca reuersa à Pelisthinis: vt patet. Reg. 7. Nec vñquam legitur in scriptura quodd interim ex domo Abinadab delata fuerit arca ad locum aliū: sed semel duntaxat inuenitur ducta ad filios Israel cōgregatos ad bellū. Reg. 14. propter quod insinuat quodd reducta fuerit ad domum Abinadab. ex eo enim quodd scriptura duo tantū loca præter morā in Bethsemes nominat arcæ Dei (videlicet ciuitatē Silo & Cir' iath Icharam, hoc est ciuitatē syluarū in cuius colle erat dom⁹ Abinadab) singere plura loca nescio. & Hurzæ & Ach'io filii Abinadab ducebant plaistrū nouum. Hinc insinuantur quodd leuita erat Abinadab: nā ideo filii eius cōmissum est ducere plaistrū, quia leuitæ erāt. Cūq; tulissent cā ē domo Abinadab, qui erat in Ghibba custodiens arcā Dei. Iuxta Hebræū habetur. Et tulerunt ipse de domo Abinadab quæ in colle cum arca Elohim: & Ach'io precedebat arcā. Prius narrati fuerant duo fratres Oza & Ach'io ducentes plaistrū: modò distributio eorum narratur dicēdo & tulerūt, subauditur sic: videlicet ipse Oza cū arca Elohim ab ipsa domo Abinadab, & Ach'io frater eius ibat ante arcā. describitur enim quodd Oza semper ibat ad latus arcæ tāquam principalis ad curam arcæ in stinere: vt hinc intelligamus non esse admirandum si ipse qui caput erat, percussus postea à Deo est fratre eius nihil malī passus. David autem & tota domus Israel ludebant coram domino in omnibus lignis fabricti: & in citharis & lyris & tympanis & sistri & cymbalis.

Postquam autem venerunt ad aream Nacher. Legendū esset. Nacher. Sed aiunt Hebræi non esse nomen proprium, & latine dicendum, ad aream p̄paratiōnis. p̄parata siquidem in area illa holocausta pro veneratiōne arcæ insinuantur: vel area p̄paratiōnis appellatur area quādam existens in loco vbi congregatus fuerat populus electus, eo quod ibi p̄paratus fuerat populus electus cum David ad deducendum

arcā

arcā Dei. & sic significatur quodd valde brevi spatio viæ peracto percussus fuit Oza. Hunc sensum puto complectendum ad literam. extendit Hurzæ manum, luxta Hebræū non habetur manus, quanvis subintelligatur. ad arcā Dei. Nomen est Elohim, & tenuit eam, quoniam calcitrabant boues & declinauerant eam. luxta Hebræū pauciōra scribuntur. & tenuit eam quia declinauerunt boues, pro claritate siquidem interpres extendit. Ita inquit est furor domini in Hurzam, & percussit eum ibi Deus. Legendū est & percussit eum ibi Elohim. iustus iudex super temeritatem. luxta Hebræū habetur. super erroris. Et est sermo multilus: quia subauditur factio. & est sensus, super factio erroris. Nec est veridēum in dubium quod fuerit istud factum erroris: quoniam ipse Daud postea manifestauit. Reg. 15. ex absentiā capitum sacerdotum sanctificatorum ad portandum arcā domini erratum fuisse vehendo arcā super plastrū: & ideo iratum esse Deū. & mortuus est ibi iuxta arcā Dei. Nomen est Elohim.

Contristatus est autem David. Iuxta Hebræū habetur. Es iratus est David. Tanta describitur tristitia quodd exceduit David in incertum tamē: quia nesciebat quæ culpa aut quis error fuisse cōmissus. videbat effectum punitionis & nesciebat causam. eo quod percussisset dominus Ozam. Iuxta Hebræū habetur. super quod diuisit Ichouah diuisiōnem in Hurzæ. Et est sermo de diuisione lacerante: innuitur enim quodd huiusmodi de plaga percussus fuerit Oza à Deo. & vocatum est nomen loci illius percussio Ozæ. Legendū est. diuisio Hurzæ usque in presentem diem. Et significatur vt dictum est diuisio lacerans. Et timuit David dominū in die illa, & dixit: quomodo ingredietur ad me arca dominii? Et noluit David diuertire ad se arcā domini in ciuitatem David: diuertitq; cā David in domū Obed' edom Ghitthei. Leuita erat iste, vt patet in Paralipo. vocatur autem Getheus, quia natus erat in Geth ciuitate Pelisthinorū: peregrinabatur siquidem prius etiam Leuita, habitates vbi comodius poterant. Et māst arcā domini in domo Hobed' edom Ghitthei tribus mensibus: benedixitq; dominus Hobed' edom & toti domū eius. hoc est multiplicauit naturalibus diuinitis (puta filiorum eius & animalium suorum) prosperisque successibus.

Nunciatumq; est regi David dicendo, benedixit dominus domui Hobed' edom & omnibus quæ sunt ei propter arcā Dei. Nomen est Elohim. dixitq; David ibo & reducam arcā cū benedictione in domū mēa. Non habetur ista clausula in Hebreo:

SECVNDI REG.

sed quia executio huius intentionis subiungitur, ad claritatem prodest littere abitique; David & ascendere fecerat aram Dei in domo Hobed'edom in ciuitatem David cum gaudio. Quemadmodum tempore irae diuinæ timuit ducere arcam Dei in Sion, ita tempore benedictionis diuinæ iuit David ad deducendam arcam Elohim ex domo Hobed'edom. Et erat cum David similitudinem chorū & victimā rituali. Non habetur hæc clausula in hebreo. Cimque transcendissent. Rectius legeretur, deambulassent portantes arcam domini sex passus significatur enim incessus legitimus per modum deambulationis, immolabat bouem & artem. Iuxta Hebreum habetur. bouem & saginatum. nec explicatur illud animal saginatum. Et David percutiebat in organis amigatis. Non habetur hæc clausula in Hebreo, sed duntaxat. Et David saltans in tota virtute coram Iehouah. & est sermo de virtute virium corporalium. Davidq; accinctus erat ephod lino. Habitū similem amictū sacro leuitatum assumpsit David in his sacris, perinde ac si hodie rex vteretur habitu clericorum in solenni supplicatione. Et David & omnis dominus Israel ascendere faciebant arcam domini in iubilo & in voce bucina. Cimque intrasset arca domini in ciuitatem David, Michal filia Saul propiciens per fenestrā. Hinc insinuatur quod mulieres non ibant in huiusmodi processionibus. vidit regem David sub silentem atque saltantem. Iuxta Hebreum habetur saltantem & resaltantem coram domino. vt clare intelligatur frequentia saltandi vel modus cōduplicandi saltum & diffusat eum in corde suo. Et adduxerūt arcam domini, & posuerunt eam in loco suo in medio tentorū quod tecenderat ei David: obtulitq; David holocausta coram domino & pacifica.

Cimque complexisset David offerre holocausta & pacifica, bene dixit populo in nomine domini exercituum. Quibus verbis visus fuerit David in hac benedictione scriptum non est; ex eotamen quod dicitur in nomine domini exercituum, innuit quod non visus est benedictione scripta Nume. 6. qua sacerdotes benedicebant populo, ibi enim non nominabatur dominus exercituum; vt patet in litera. Et partitus est toti populi toti multititudini Israel a viro usque ad mulierem, vniuersique colligidam. Iuxta Hebreum habetur placentam panis unam. Similiter quod subiungitur. & assuram bubala carnis unam. Iuxta Hebreum legendum est. & partem tauri unam. verum appellatione tauri intelligitur mas tam bouinus quam bubalinus.

CAPUT VI.

161

& similam frixam oleo. Iuxta Hebreum habetur. & phialam unam, non aquæ, sed vini plenam. & abiit totus populus, unusquisque in domum suam.

Reuersusq; est David ut benediceret domui sue, tum laetificando tum largiendo. & egressa est Michal filia Saul in occursum Davidis, & ait, quam gloriosus. Parui refert quod Hebraice habetur, quam honoratus fuit hodie rex Israel. Michol prius in corde suo vilipederat Davidem: tantaque superbia plena intus erat ut occurrerit regi ad despiciendum etiam verbis regem ipsum. qui discooperitus fuit hodie ante ancillas seruorum suorum & nudatus. In Hebreo repetitur vocabulum detectionis: & nihil dicitur de nuditate. Detectus autem appellatur non solum relatiue ad regalem habitum, sed etiam quia linea vestis superhumeralis non tegebat totum hominem. nam nec brachia nec latera nec tibia tegebantur superhumerali teste: propter hoc enim discooperitus dicitur. acsi hodie rex cum solis caligis & (vraiu) diploide habens desuper superhumeralem amictū lineum, publice in sacris appareret. quasi si nudetur unus de scuris. Iuxta Hebreum habetur. acsi discooperendo discooperitus esset unus vacuorum, proculdubio sensus.

Dixique David ad Michal, vinit dominus quia ludam. Interpretis inseruit, vinit dominus quia ludam, ad clarificandum apparentem mutilum sermonem Davidis. nam Hebraice responsio Davidis sic incipit. ante dominum qui elegit me potius quam patrem tuum & quam totam domum eius, precipiendo mihi ut essem dux super populum domini super Israel. & pendet constructio litera usque ad subiunctam particulam & ludam. Veruntamen legendum est. & ludam in facie Iehouah. Et vilius fiam & ero humili in oculis meis. hoc est tum ludam, tum vilius fiam, tū ero humili. Et repetitur facies Iehouah ad exaggerationem rationis facti præteriti & futuri. & cum ancillis quas dixisti, cum eis ero honoratus. Sic habetur Hebraice: & directe respondet opprobrio obiecto à Michol quod non in dehortationem, sed in honorem suum emerget determinatio ista coram ancillis seruorum. Et verificatur hoc, tum quia non propterea minus honorabitur, tum præcipue quia deus hanc humilem actionem coram ancillis vertet in honorem ipsius Davidis ita quod honoratus erit cum illis, acsi aperte dixisset: quanvis in oculis tuis non appaream honoratus, apud oculos tamen ancillarum quas dixisti honoratus ero. Et

X

Michal;

SECUNDI REG.

Michali filia Saul non fuit natus, postea prius enim generat filium Dauidi in Hebron: ut patet superius capite tertio. usq; in diem mortis sue. Aliunt Hebræi ideo mentionem fieri diei mortis, quia mortua est in partu. quod si verum non est, dicatum est usque in diem mortis sua perinde ac dictum fuisset in toto residuo vita sua.

CAPVT VII.

IT fuit quod sedit rex in domo sua. Constructum & habitatum significatur regale palatium ab artificibus missis à rege Tyri. vnde & subiungitur regem habitare in domo cedrina. & dominus dedit ei requiem vndique ab omnibus inimicis suis. pro tempore illo. nā postea multa bella exercuit: ut clare narratur in principio sequentis capituli. Dixitq; rex ad Nathan prophetam. Superius introductus est Gad propheta comes Dauidis: modo Nathā propheta etiam cum Dauidice narratur. vide queso, ego habito in domo cedrina. hoc est testa ex lignis cedrorum que miserat rex Tyri: vt in cap. 5. patet. & arca Dei. Nomen est Elohim. postea est in medio pellum. luxta Hebræum habetur. habitat in medio cortina. Indignum reputabat David ut honorabilius esset habitaculum suum quam arca Dei. Dixitq; Nathan ad regem: omne quod est in corde tuo rade fac. quia dominus tecum est. Ex ista responsione Nathan appetet quod proprio spiritu respondit Nathan: & propterea non est mirum quod errauit.

FAETUM est autem in nocte illa: & fuit verbum domini ad Nathan dicendo. Iungendo tempus nocturnum cum verbis inferius subiunctis (videlicet quod ista fuit visio) insinuat videtur diuina apparitio facta dormienti Nathan per modum alloquentis. Vade & dices ad seruum meum ad Dauid: sic dixit dominus, an tu edificabis mihi domum ad habitationem meam? Quia non habitasi in domo à die qua ascendere feci filios Israël ex AEGYPTO usque ad diem hanc. Excluditur primo Dauid ab officio edificandi templum, tum quia haec tenus non habitauit arca eius in domo. sed in tabernaculo seu tentorio, tum quia nullum principem Israel reprehendit quod non edificauerit sibi templum. sed ambulauit in tentorio & in tabernaculo. Fit mentio yrifusque, quia arca Dei quandoque in tabernaculo quod construxerat Moses, quandoque autem in tentorio.

CAPVT VII.

162

fuerat: videlicet cum in castris militaribus erat. In omni loco quo ambulauit cum omnibus filiis Israël, an verbum locutus sum ad unam tribum Israël quibus precepī ut pascerent populu meum Israël dicendo: cur non edificastis mihi domum cedrinam?

Et nūc sic dices seruo meo Dauid: sic dixit dominus exercituum, ego tuli te de pascuis. Parui refert quod Hebraice habetur. de habitaculo, de post oves. & significatur vile habitaculum pastorum ouium. vt esses dux super populum meum, super Israelem. Post negatam Dauidi edificationē templi, subiunguntur beneficia ei collata quatuor, satis clare scripta in litera. Et fui tecum in omni loco quo ambulasti, & interfeci. Rectius legetur, et excidi omnes inimicos tuos à facie tua. quia et si omnes inimici Dauidis non fuerunt interficti, fuerunt tamen excisi sic ut non possent nocere Dauidi. & fici tibi nomen magnum iuxta nomen magnorum qui sunt in terra.

Et ponam locum populo meo Israël. Tertiō prænunciantur futura beneficia. quorum primum relatiue ad populum exprimitur. & est quod sub regimine tuo ponam locum populo meo Israël: hoc est dabo locum firmum & stabilem, vt non vagetur, vt non captiuus huc atque illuc ducatur. & plantabo eum: hoc est ad similitudinem plantæ radicatae in terra firmabo eum. & habitabit in eo, & non turbabitur. Luxta Hebræum habetur. & non timebit amplius. proculdubio inimicos suos. hac enim omnia dicuntur ad explanandam firmitatem populi regnante Dauid. & non addent filij iniquitatis ut affligant eum sicut prius, & à die qua constituti iudices super populum meum Israël. s̄epe enim afflitti & in seruitutem ac captivitatem ducti fuerant tempore iudicium. Et requiem dabo tibi ab omnibus inimicis tuis. Alterum prænunciatur beneficium: quod rei probauit euentus, prædicetur ibi. Rectius diceretur. & annunciatib; tibi dominus quod domum faciet tibi dominus. Tertium prædictur beneficium: videlicet quod deus annunciatib; tibi facturum se tibi domum. ergo præter istam reuelationem factam per Nathan, alia promittitur reuelatio futura de domo Dauidis. Et hæc futura reuelatio de domo (hoc est de familia seu progenie) Dauidis, per Mesiam intelligenda est: quæ postea fuit facta Dauidi.

Cum completi fuerint dies tui & dormieris cum patribus tuis, suscitabo. Luxta Hebræum habetur. firmabo semen tuum post te. Quartum beneficium de Salomone prædictur, quod eges

Yij dictum

SECUNDI REG.

dietur de vetero tuo. Iuxta Hebreum habetur: quod egredietur de visceribus tuis. Salomon si quidem natus non erat tunc, nec mater eius erat tunc ducta in uxorem Dauidis: ut clare testatur initium tam octauum quam decimi capituli. Non sciturum igitur post mortem Dauidis, sed post mortem Dauidis firmandum promittitur semen eius quod egressum erat tempore istius prophetiae ex visceribus Dauidis. & firmabo. Iuxta Hebreum habetur. & dirigam regnum eius. hoc enim rei probavit euentus, dante Deo Salomoni pacem, sapientiam & diuitias ad regnandum. Ipse edificabit domum nominis meo, non tu, sed Salomo filius tuus edificabit templum non mihi, sed nomini meo. Deus enim ubique est, sed nomen eius non ubique est, sed duntaxat ubi nominatur. Et est sermo de nominatione quem fit celebri cultu, nomen sicutum Dei non nisi ibi tanquam in templo erat futurum, quoniam ibi duntaxat licitum erat sic inuocare nomen Dei, & stabilitam. Iuxta Hebreum habetur. & dirigam iheronum regnum eius usque in sempiternum. Prius dixerat & dirigam regnum eius: modo dicit & dirigam regalem sedem in Ierusalem regni eius usque in sempiternum. Quauis legi posuit usque in seculum. & hoc recte intelligitur: quoniam Salomonis sedes non fuit directa in sempiternum, sed in seculum. Ego enim ei in patrem & ipse erit mihi in filium. Testatur Dauid 1. paralipomenon 2. hanc verba dicta fuisse a deo de Salomone. Sed prima particula fuit verificata non pro tota vita Salomonis: quoniam cum esset senex, non veneratus est deum ut patrem, sed declinavit ad idolatriam. Secunda autem particula plus veritatis habuit: quia etiam peccantem Salomonem in senectute tolerauit deus in regno tanquam filium. Et hinc discimus diuinas revelationes futurorum necon promises sic intelligi cum moderamine: videlicet nisi ponamus obicem, promittit enim deus de Salomone, ego ero illi in patrem & ipse erit mihi in filium: & tamen quia Salomon posuit obicem tantae gratiae, non fuit hoc verificatum, nisi ad tempus. quod si inique aliquid gesserit. Iuxta Hebreum habetur, quo inique agente. Praeuidebat deus Salomonem peccatum: & propterea declarat modum futurae castigationis. Vbi aduerte diligentius quod non dicit se Dauide inique agente, sed Salomone inique agente, ad continentum Dauidem in timore, & si ipse inique egerit, irrita erit omnis promissio:

6-

CAPVT VII.

163

Alio autem inique agente, locus erit subiuncto moderamine castigandi. castigabo eum in virga hominum, & in plagi filiorum Adae. hoc est castigabo eum castigationibus solitis ex actionibus hominum: qualia sunt bella, seditiones & huiusmodi. Et similiter castigabo in paliacionib[us] plagarum quas soliti sunt pati filii Adae: ut sunt variæ agitudines, penuria, epidimia & huiusmodi. Misericordiam autem meam non auferam ab eo sicut abstuli a Saul. Legendū est. Et gratia mea non recederet ab eo sicut feci recedere a Saul. Ecce de qua gratia est sermo: videlicet de gratia quam deus fecit recedere a cōcomitantia Saulis, hanc enim gratiam perspicuum est esse gratiam regnandi in successione seminis sui. haec n. gratia non concomitata est Sauli: quia semen eius restat priuatū in successione regni. Vnde & ad hoc amplius manifestandum subiungitur, quem amouit a facie mea: Iuxta Hebreum habetur, quem faci cessare a facie tua, manifestum est enim quod Saul in suo semine cessauit a regnando a facie Dauidis. Promittitur itaque quod si Salomon inique gesserit, castigabitur cum tali moderamine, quod tamen semen eius regnabit: haec enim est gratia negata Sauli.

Et fidelis erit domus tua & regnum tuum usque in eternum. Iuxta Hebreum habetur. Et firma domus tua & regnum tuum usque semper. Quintum futurum beneficium prænuntiatur, hactenus enim de Salomone, nūc autem de ipso Dauide est sermo. Redditur enim ratio antedictæ gratiae promissæ semini Salomonis: & simul explicatur duratio successionei seminis eius in regno. ratio quidem quia domus tua, hoc est quia progenies tua: duratio vero usque semper. dictum sicutum fuerat in Salomonis gratia quod succederet semine eius in regno, sed non fuerat explicata duratio huiusmodi successionis: & propterea nunc explicatur, ante faciem meam & iheronus tuus erit firmus iugiter. Iuxta Hebreum habetur, in facie tua sedes tua dirigetur usque semper. Qualiter duratio huiusmodi successionis in regno erit, prænuntiatur: videlicet quod erit in facie Dauidis, hoc est intuitu ipsius Dauidis. facie enim cum cognoscatur homo, agnoscendus promittitur Dauid in duratione sedis regiae per hoc quod dicitur in facie tua. Et vere sic eueniisse testantur sacrae historiae, narrantes successores Dauidis in regali Dauidis sede propter ipsum Dauidem. Quod autem dicitur usque semper, etiam ad literam verificatur propter Mesiam ex semine Dauidis pro-

Y iii missum

missum Dauidi, cuius regni non erit finis. Secundum omnia
verba hec & secundum totam visionem istam, sic locutus est Na-
than ad Dauid. Sermonem & visionem simul narrat. sermo-
nem quidem ad differētiā revelationis per solam visionem
etiam cum illius intelligentia: visionem vero ad differētiā
revelationis per sermonem duntaxat, sive per solum insin-
ctum diuinum, sive per solā auditionem diuinę vocis in son-
no vel vigilia. declaratur enim quod cum sermone & visione
fuit revelatio ista.

Ingressus est autem rex Dauid, & sedet coram domino. Effectus
subsiccatus narratur quod Dauid venit, proculdubio in ta-
bernaculum vbi erat arca Dei: & plus animo quam corpo-
re sedet, quietus coram deo meditando & orando. & dixit,
quis ego domine mi de? & quae domus mea quod adduxisti me hu-
iisque? Aduerte prudens lector quod in tota hac medita-
tione ac oratione Dauidis s̄ep̄issime nominatur Deus do-
mine mi deus iuxta vulgatam editionem. Hebraice autem
adonai Iehouih. Nec Iehouih est aliud nomen quam Ieho-
uah: sed blande loquendo mutatur prolatio & pr̄positur
nomen domini cum pronomine, perinde ac diceretur domi-
ne mi Iehouah: ut confueimus blande obsecrando alloqui
principem. & hæc sufficiant pro similibus hic repetitis. Ab
humilitate itaque inchoat meditationem suam, conferendo
magnitudinem beneficiorum, sui & domus suæ tenuitatem. Et
parum adhuc hoc fuit in oculis tuis domine mi Deus, & locutus es
etiam de domo serui tui in longinquū: & ista est lex Adā domine
mi Dcu. Lex sumitur hic pro summo in quod potest lex: si-
cūt s̄apē sumitur fides pro re credita. ac si diceretur ista est
vis legis Adā: hoc est, istud est summū ad quod se extendit
tota virtus legis humanæ: hoc est naturalis dictaminis ratio-
nis humanæ. Et pronomē demonstrat utrumque beneficium
quod est prænarratum: videlicet celstudo propria, & longe-
ua celstudo domus suæ. Ex his enim duobus constituitur
summum appetibile secundum dictamen naturale rationis
humanæ: communiter enim vniuersus conatus humanus ad
hæc duo tendit. Et propterea Dauid cōsiderans hæc duo be-
neficia diuina affirmata esse sibi à Deo, agnoscit & fatetur
in his contingere vniuersum desiderabile secundum naturale
dictamen rationis humanæ. Et propterea subiungit. Et quid
addet Dauid vñra ad loquendum tibi: hoc est nihil superest mi-
hi

Hipetendum à te, qui omnia contulisti. tu enim scis seruum tuū.
Legendum est. & unoſti seruum tuum domine mi Deus. Initium
sequentis sententia est clausula hæc. t̄edit enim ad hoc quod
non propter me, quia tu nosti me seruum tuum quis qualis-
que sim: tanquam ipsius Dei notitiam innocet testem indi-
gnitatis propria. Et propterea subiungit. Propter verbum tuum
& secundum cor tuum. non propter merita mea; sed propter
verbū tuum olim dictum Samuell, & secundum cor tuum;
non secundum alienum consilium, sed ex intima voluntate
tua. fecisti omnia magna hæc ita ut notum faceres seruo tuo.
Iuxta Hebræum habetur. fecisti omnem magnitudinem istam
ad notificandum seruo tuo. Et est ordo literæ, fecisti ad notifi-
candum seruo tuo omnem magnitudinem istam. prius si-
quidem gratias egit de beneficio affirmato: modò autem
gratias agit de notificatione tanti beneficii sibi facta. Idcirco
magnificatus es. Parvi refert quod Hebraice habetur. Idcirco
granduissimi domine Deus. Et refertur facere Deum secundum
cor & verbū proprium. Et est sensus. ideo (videlicet quia
facis secundum cor & verbū tuum) granduisti, non in te-
ipso, sed in nomine seu gloria tua apud homines. quia non es
similis tibi neque est Deus preter te. Nomen est Elohim. Reste
ex hoc quod solus ipse est Deus, ratio redditur faciendi se-
cundum cor & verbū proprium. Si enim haberet parem, quā-
doque faceret secundum cor & verbū illius qui esset ei par.
secundum omnia quæ audiuimus auribus nostris. Testimonium af-
fert quod Deus non habeat parem ab effectibus eius in po-
pulo Israel, quos à patribus audierat. Quos effectus subiungit.

Et quæ est sicut populus tuus sicut Israel, gens una in terra. Sin-
gulare beneficium redemptoris populi ex Aegypto cum
tot adjunctis mirabilibus & terribilibus ad hoc vt Israel es-
set Deo in populum peculiarem & Deus esset illi in Deutri-
(hoc est peculiariter coleretur ab illo vt Deus) narratur ut
singulare factum, nulli alii populo collatum nec à Deo ve-
ro nec à Deo opinato. propter quam iuerit Deus ut redimeret eā
sibi in populum. Iuxta Hebræum habetur. ad quam iuerunt Elo-
him ad redimendum sibi in populum & ad ponendā sibi nomen.
Et significanter dicitur in numero plurali iuerunt Elohim:
quoniam distribuit Elohim pro Deo vero & pro Deo op-
inato, est enim sensus, quæ est gens una ad quā redimēdā sibi
in populū iuerūt Elohim, sive Deus verus, sive deus opinatus.

quicunque quasi dicat, nulla sicut populus tuus Israel. Et in hoc significatur singularitas facti diuini in populo Israel: ita quod nullus Deus par est Deo vero in tali facto, nec aliqua gens assimilatur populo Israel in tali beneficio cum annexis mirabilibus subiunctis facie et que eis magnalia & horribilia super terram. Iuxta Hebraeum habetur. & ad faciem vobis magnitudinē & terribilia terra tua à facie populi tui quem redemisti tibi ex Aegypto gentibus & Eloha eius? Mirabilis valde est adiecio pronominis vobis, dicendo & ad faciendum vobis magnitudinem, manifeste siquidem in iuuersu iste Davidis sermo dirigitur ad Deum: ut tam antecedētia quam sequentia testatur. Et h̄c est prima litera in qua Deus significatur per pronomen vos. Veruntamen quemadmodum crebro denominat Deum Adonai (hoc est domini mei) in numero pluri-
ali, casus vocatiui, sic licuit demonstrare Deum per pronomēn vobis in casu datiuo, eadem siquidem honoris ratio ex usu loquendi est utroque. Et esset sensus, ad faciem vobis Deo (hoc est ad diuinā gloriam) magnitudinem in operibus. Consultius tamen pronomen vobis demonstrat Elohim antedictos: dixerat enim & iuerunt Elohim. Ita quod sermoni de Elohim in tertia persona inserit verba ad Elohim in secunda persona, alloquendo eos ad faciendum vobis Elohim magnitudinem operum & gloriae. dictum est autem quod Elohim hoc in loco supponit communiter pro Deo vero & diis opinatis. Et hic sensus complectendus est ad literam: quoniam huiusmodi mutatio sermonis de tertia in secundam personam non est insolita in saeculis libris. & quadrat contextui ut dicatur ad faciendum quidem vobis Elohim magnitudinem, terra autem tuæ terribilia: qualia facta sunt tempore Iosuæ à facie populi Israel redempti ex Aegypto & ex gentibus Hamalech & Emoræis & reliquis trans flu-
men, & diis eorum tam Aegyptiorum quam aliorum. Firmasti enim tibi populum tuum Israel in populum sempiternum. Legendum est. Et direxisti tibi populu tuum Israel tibi in populu usque semper. Sētentia clara est. & tu domine Deus factus es ei in Deo. Legendum est. & tu Iehouah fuisti eis in Elohim. hoc est in gubernatorem cultum ab eis.

ET nunc domine Deus. Legendum hac vice est non Adonai Iehouih (vt in aliis locis huius supplicationis) sed. Et nunc Iehouah Elohim verbum quod locutus es super seruum tuum

& super dominum eius. Narravit haec tenus commendando beneficia: incipit modo supplicare inchoat à stabili duratione diuini verbi super ipsum & domum eius usque semper. suscita in sempiternum. Legendum est. fac firmare usque semper, & fac secundum quod locutus es. Rationem faciendo adiungit satis claram. Et magnificabitur nomen tuum usque semper dicendo, dominus Deus exercitum. Legendum est. Iehouah exercitum Elohim super Israel. Magnificationem diuini nominis securā proponit in perseverantia confitendi quod summus Deus exercitum est Elohim (hoc est gubernator) super Israel. & dominus servi tui David erit stabilita. Legendum est. dirigeretur coram te. Ecce unde perseverabit prædicta confessio: ex hoc videbitur quod domus David dirigetur coram Deo. Et verum dixit: quia ut rei probauit euentus, quotiescumque reges ex domo David directi sunt secundum Deum, magnificatum est diuinum nomen. Quia tu domine exercitum. Ratio excusans præsumptionem Davidis ad petendum talia pro domo sua assertur. De² Israel. Hebraice habetur. Eloha Israeli. quod sepe declaratu est. reuelasti aurum servi tui. per sermonem Nathan prophetæ. dicendo, domum adificabo tibi: ideo inuenit seruus tuus cor suum ad orandum ad te orationem hanc.

Et nunc domine mi Deus tu es Deus. Legendum est. tu ipse Elohim. hoc est tu es ipse qui gubernas & iudicas omnia. & verba tua erunt vera. Iuxta Hebraeum habetur. & verba tua erunt veritas. Supplicatio est. & est sensus & verba tua non sint tanquam verba comminationis & promissionis secundum præsentem dispositionem secundarum causarum, sed sint veritas simpliciter & absolute. & locutus es ad seruum tuum bonum hoc. Incipe ergo. Iuxta Hebraeum habetur. Et nunc velis, est enim secunda persona imperatiui. Ad hoc ut verba simpliciter verificantur, diuina exigitur voluntas. & benedic domini servi tui ut sit in seculum coram te. Omne bonum sub benedictione comprehenditur, & petitur relativa ad hoc ut domus Davidis sit semper cora Deo: quod est esse semper placitam Deo, quod est nisi ad placendum Deo semper. quia tu Domine mi Deus locutus es hoc. Superfluit h̄c: ratio benedicendi redditur diuinus sermo ad Nathan. & benedictione tua benedicetur dominus servi tui in seculum. Efficacia diuinæ benedictionis pro altera ratione benedicendi assertur.

SECUNDI REG.

CAPVT VIII.

Sicutum est autem post hanc. Legendum est. Et fuit post sic. Scito prudens lector quod infinites interpres loco fuit, ponit factum est: & similiter infinites loco sic, ponit haec, sed fere semper pertransimus, quia non variatur sententia. Ordo itaque temporis significatur inter reuelationem supplicationemque antedictam & subiuncta praelia. & percusset David Pelithim & humiliavit eos: tuncq; David frenum tributi. Iuxta Hebraeum habetur. frenum aqueductus de manu Pelithim. Et sermone metaphorico significatur principatus, quemadmodum enim is cuius est fratre aquaductum, disponit de aqua (tollendo vel communicando eam) ita princeps disponit de bono subditorum. Principatum itaque quem multo tempore obtinuerant Pelithini super Israel, abstulit David.

Et percusset Moab, & mēsus est eos funiculo coquando eos terrae. Lōge plus depremisit Moabitæ q̄ Pelithinos, nā Pelithinos humiliavit: Moabitæ autem sic prostravit ut æquauerit eos terræ. & forte ad literam diruit arcis eorum vñque ad solum, mēsus est autem duos funiculos, unum ad occidendū & vñ ad viuiscandū. Iuxta Hebraeum habetur. & mēsus est duos funiculos, ad moriendum & plenitudinem funiculi ad viuiscandū. Et potest dupliciter haec litera legi, vel intelligēdo duos funiculos ad moriendum & tertium ad viuiscandum: vel faciendo pūctum post funiculos, ita ut duo tantum significantur funiculi, appositue explicati, alter ad moriendum, alter cū plenitudine ad viuiscandum. Et hic sensus quadrat magis mansuetudini Davidis: præsertim quod nulla in sacra scriptura feribit causa belli huius contra Moabitæ, nisi communis Moabitæ & multis aliis nationibus, in Psal. 83, dicendo Moab & Hageri &c. Ad instar itaque metentis agros funiculis, describitur tam cædes quam clementia Davidis in Moabitæ: ad insinuandum quod nō promiscue ferino furore occidi fecerit multos, sed cum mensura, proculdubio iustitia. Scribitur autem hoc ad exēplum aliorū principum: ut discat metiri funiculo iustitia clade. Maiorque clementia significatur dicēdo, & plenitudinem funiculi ad viuiscandū: ut funiculus mortis insinuetur mācus, funiculus vero vitæ insinuetur plenus, propensiōres enim debent esse principes ad vitam hostium quam ad mortem eorum. factusque est Moab David seruēs sub tributo.

CAPVT VIII.

168

tributo. Iuxta Hebraeum habetur. & fuit Moab Davidi in seruos portatores muneric. Hoc est in seruos tributarios.

Et percusset David Hadarhezer filium Rechob regem Zobæ, quādo profectus est ut dominaretur super flumen Euphratem. Iuxta Hebraeum habetur. in profectione sua ad faciendum restituere terminum suum in flumine Perath. hoc est Euphratis. Tāquam occupata ab aliis regio vñque ad Euphratem restituta da Israeli narratur, eo quod erat Israeli à Deo ei data: ut Moses scriperat. Dauidis siquidem tempore executioni mā data est diuina largitio. Significanter autem apponitur tempus profectionis ad dominandum vñque ad Euphratem: quia in hoc capitulo summantur diuersa bella, quoru ordo postea explicabitur in sequentibus capitulis. hoc enim bellum fuit post illatam legatis Dauidis à rege Hammonitatum iniutiā: ut clare inferius narratur. Cepitq; David ex eis mille & septingentos equites, & viginti millia virorum peditum: & subneruauit David omnem currum, & dereliquit ex his centum currus. Et venit Syria Damasci ad auxiliandum Hadarhezer regi Zobæ: & percusset David de Syria vigintiduo millia virorum. Et posuit David praesidium in Syria Damasci. Quanvis Hebraice scribatur. presides in Aram Damasco. sententia tamē restat redita est: quoniam non solæ personæ præfectorum, sed cum multitidine militum ad seruandum Damascum sub dominio Dauidis positæ sunt. Et fuit Aram Dauidi in seruos portatores muneric: seruauitq; dominus Dauidem in omni loco ad quem profectus est. Et tulit David arma aurea & torques aureos. Iuxta Hebraeum habetur. scuta aurea que habebant serui Hadarhezer, nec alia aurea memorantur. & detulit ea in Ierusalaim. Et de Betach & de Berothai ciuitatibus Hadarhezer, tulit rex David es multum valde. De quo fecit Salomon omnia vasæ area in templo & mare aeneum & columnas & altare. Superfluit haec ultima particula sedecim distinctionum.

Audiuīt autē Thobi rex Chamath, quod percusset David totum robur Hadarhezer. Misitq; Thobi Iorā filium suū ad regem David & salutaret eū congratulans. Iuxta Hebraeum habetur. ad petēdum sibi pacem. Sententia clara est. & ad benedicendū ei eo quod prougnasset contra Hadarhezer & percusisset eum, quia vir belli Thobi fuit Hadarhezer, & in manu eius erant vasæ argentea & vasæ aurea & vasæ area. Etiam ea sanctificauit rex David domino. hoc est dicauit ad cultum Dei in templo edificando per filium.

cum

SECUNDI REG.

cum argento & auro quo & sanctificauerat de vniuersis gentibus quas subegerat. De Syria & de Moab & de filiis Hämō & de Peleſhim & de Hamalec: & de manub̄s. Legendum est. & de preda Ha-darhexer filii Rechob regis Zobae. sic enim habetur hebraicē.

Fecitq; quoque David sibi nomen cum reueteretur à cedēdo Syriani in valle salis: decē & octo millia. Superfluit dictio sibi. Triumphale signum significatur constructum à Davide propter quod punitus fuit rebellione Idumææ: vt. 3. reg. xi. insinuat̄ur. & in Gebelem ad vigintitra millia. Nō habetur hæc clausula in hebræo: sed narrata percussione decem & octo milium Syrorum in valle salis statim subiungitur. Et posuit in Edom presides, in tota Edom posuit presides, & fuit tota Edom seruus Davidi. Et sic adimplera est prophetia reuelata Rebæca gen. 25. & maior seruiet minori. & seruauit dominus Dauidem in omni loco ad quem profectus est.

Regnauitq; David super totum Israēl: & David faciebat iudicium & iustitiam toti populo suo. Consueuerant tunc reges per seipſos audire causas. Ioab autem filius Zeraia erat super exercitum: & Iehosaphat filius Achilud erat à commentariis. Iuxta hebræum habetur. facies recordari. Nec est perspicuum an officium huius effet scribere annales historias summarie (vt intellexit interpres dicendo erat à commentariis) an officiū eius erat reuocare ad memoriam regis expediendas causas. Et Zadoc filius Achitub & Achimelech filius Ebe iathar sacerdotes: & Seraia scriba. Qui vocatur cancellarius significatur. Et Ben' iahu filius Ieho' iadah super Cheretheos & Peletheos. Iuxta hebræum habetur. & Cherethi & Pelethi. Et ab excisione ac iudicio vocabula hæc deducuntur. integrabat enim hæc custodiā regiā: eorumque officium erat exequi iudicia regis & excidere cum opus erat: erant enim viri robusti valde que si leles Davidi. Et propter eorum eminentiam non dicitur quod Benaias fuerit super eos cum tamen effet caput eorum: sed dicitur Benaias & Cherethi & Pelethi vt tanquam socii suppontentur. filii autem David sacerdotes erāt. Sacerdos nō est hic nomen ordinis, sed dignitatis. erant enim filii Dauidis primi vt paralipomenon explicat: & ideo quo ad dignitatem sacerdotes (qui alis præferabantur) dicuntur.

C A P. IX.

ET dixit David: an est adhuc qui remanserit domini Saulis & facias cum eo misericordiam. Legendum est. gratiam properter Iehonathan

C A P V T . IX.

167

Iehonathan? Memor fœderis inter se & Ionaitham inquirit an remanserit aliquis. Erat autem domui Saul seruus nomine Ziba & vocauerunt eum ad Danid: dixitq; rex ad cum nonne tu es Ziba? & dixit sum seruus tuus. Et dixit rex num remansit adhuc aliquis Domui Saul & faciam cum eo misericordiam Dei? Legendum est. gratian Elohim? Propter iusserandum interpositum in fœdere appellauit gratiam Elohim, dixitq; Ziba ad regem, adhuc est filius Iehonathan debilis. Legendum est. claudus pedibus. vt etiam superius dictum est. Dixitque ei rex rbi est? & dixit Ziba ad regem, ecce est in domo Machir filii Hammie in Lodebar.

Misiq; rex David: & tulit eum de domo Machir filii Hammie de Lodebar. Et venit Mephiboseth filius Iehonathan filii Saul ad David & corruit superfaciem suam & adorauit eum: dixitque David Mephiboseth, & dixit ecce seruus tuus. Dixitq; ei David ne timeas. vocari à me tanquā inimicus puniendus. quia faciendo faciam tecum misericordiam propter Iehonathan patrem tuū. Sæpiissime utitur interpres misericordia pro gratia. & reddere faciam tibi omnem agrum Saul patris tui: & tu comedes panem super mensam meam semper. Et adorauit eum & dixit: quid est seruus tuus quod resipisci super cauem mortuum qui est sicut ego?

Vocauitque rex Zibam pucium Saul & dixit ad eum: omne quod fuit Saulis & vniuersam domum eius. Legendum est. & vniuersam domum eius dedi filiis domini tui. datiuī enim casus est tam Saul quam vniuersa eius domus. Et est sensus quod omnes facultates Saulis & filiorum eius dedi Mephiboseth. Coles igitur ei terram tu & filii tui & seruū tui, & afferes & eris filio Domini tui panis & comedes ipse. scilicet filius Mephiboseth. is enim alendus erat ex prouentibus agrorum: nam de Mephiboseth subiungitur quod ipse vesceretur de mensa regis. Mephiboseth autem filius domini tui comedet semper panem super mensam meam: & Ziba erant quindecim filii & viginti serui. Dixitque Ziba ad regem iuxta omnia que præcepit dominus meus rex seruus suo, sic facies seruus tuus: & Mephiboseth comedet super mensam meam quasi unus de filiis regis. Attende prudens lector quod sub intelligi regem repetiſſe hæc verba. ita quod dicente Ziba faciet seruus tuus sicut iussisti. repetit rex & Mephiboseth comedet super mensam meam tanquam filius regis: hoc est habebit portionem ex mensa mea quemadmodum habent filii regis. Et in hoc David optime seruauit fœdus quod fecerat cum Ionaitha assimilando filium Ionaithæ propriis filiis.

Habebatq;